

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

I. De orationibus fundendis ad Deum pro cleri ordinatione vacantium ecclesiarum, & aliis diuinis officiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## CAPITVLA.

## RVBRICA I.

ANNO  
CHRISTI  
1511

**Q**VIA inter cetera, quæ pericula & discrimina afferunt & inducunt, est diuturna vacatio ecclesiarum cathedralium, cui volentes succurrere, quod statutum est fieri pro celeri ordinatione sanctæ Romanæ ecclesiæ, cum vacauerit, per constitutionem Gregorianam, Vbi periculum, statuimus, mandamus, & obseruari præcipimus pro celeri ordinatione Rauennatis ecclesiæ, vel alterius ecclesiæ cathedralis de prouincia, cum vacauerit, ita quod pro ordinatione ipsius Rauennatis ecclesiæ fiant orationes & processiones ad Dominum, & alia bona spiritualia a clero & populo vniuerso per totam Rauennatem prouinciam, donec ipsa electione fuerit celebrata: & in qualibet ciuitate & ecclesia cathedrali eiusdem prouinciae, vacante a suis clero & populo pro celeri ordinatione eiusdem ecclesiæ cathedralis. Et idem fiat in ecclesiis conuentualibus vacantibus pro celeri & concordi electione ipsorum ab iis, qui sunt de conuentibus & capitulis ipsarum. Et ut hæc celerius adimpleantur, archidiaconus, præpositus & chorus ecclesiæ Rauennatis statim cum ecclesia ipsa vacauerit, procurent omnibus & singulis suffraganeis vacationem ipsam notificare: & capitula ecclesiarum cathedralium idem obseruent, & faciant in suis ciuitatibus & dicecessibus, cum suas ecclesias pastore contigerit vacare.

RV-